



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XVI. De B. Petro à Castronouo, martyre primoq[ue] Inquisitore hæreticæ prauitatis, & de B. Othone Episcopo Frisingensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XVI.

*De B. Petro à Castro nouo, martyre primo-
que Inquisitore hereticæ prauitatis,
& de B. Othone Episcopo Fri-
singensi.*

P. Petrus de Castro nouo. monachus ordinis
Cisterciensis, in cœnobio Fontis frigidi,
in Francia, & d. Bellouacensi, fuit primus hæ-
reticæ prauitatis Inquisitor, ab Innocentio
III. Papa constitutus. Testatur id Ludouicus
Paramus lib. 2. De Origine Inquisitionis c. 1.
*Sanctissima (ait) Inquisitionis officium eo tempore
sumpsit exordium, quo impijs erroribus & blasphem-
nijs execrabilibus Albigensum Comitatus Tolesanus
infectus & penè extinctus erat. Tunc enim
gloriosus Deus in Innocentio III. summo Pontifice
eam mentem iniicit, vt Petrum de Castro nouo. mo-
nachum, virtutis & sanctitatis gloria florentem,
crearet Legatum, & ad illam prouinciam ad Chri-
stum Saluatorem nostrum reducendum mitte-
ret.*

Fuit autem dictus Petrus de Castro nouo
à Summo Pontifice constitutus Inquisitor,
antequam Ordo Prædicatorum per S.
Dominicum esset fundatus : vtpote qui

Z. 3

ante

ante duodecim istos Abbates Ordinis Cisterciensis (de quibus paullo post agam) Legatione Apostolica contra Albigenfes functus fuerit: vt tradunt Vincentius Bellouacensis in Speculo historiali lib. 29. cap. 93. Theodoricus Apoldianus in vita S. Dominici apud Surium, Antoninus in Summa part. 3. tit. 19. cap. 1. & alij.

Fuit verò non solum primus Inquisitor, sed & primus eo nomine martyr, vtpote qui sacræ Inquisitionis officium primus suo sanguine consecrauit iussu Raimundi Comitis Tolosani (qui Albigenfium fautor erat) crudeliter cæsus. Id disertè Vincentius Bellouacensis loco citato his verbis testatur: *Petrus de Castro nouo, Domini Papæ Legatus à Comite Tolosano, quem propter hereticorum defensionem excommunicauerat, occiditur.* Idem tradunt Antoninus loco citato, Martinus Polonus in Chronico, Ludouicus Paramus, & alij.

Ceterum non vno loco Innocentius III. affirmat dictum Petrum fuisse monachum Fontis Frigidi, adeoque ordinis Cisterciensis puta, Cap. *Per inquisitionem de Electione & Electione potestate*: Cap. *Per litteras de supplèda negligentia Prelatorum*: Cap. *Cum dilecti, de Accusationibus.*

Est autem monasterium Fontis Frigidi in Francia, & d. Bellouacensi situm, & anno 1140. per Valerianum Vrsicampi Abbatem, ac S. Bernardi discipulum, primitus fundatum.

tum: vt tradit Robertus Abbas Montis S. Michaelis in Supplemento ad Sigeberti Chronicon.

Ex quo quidē loco annis tredecim postea, hoc est, anno Christi 1153. monachi Ord. Cisterciensis prodierunt, qui *Populetum* in Catalonia cœnobium longè celeberrimum condiderunt, Raimundo Berengario Barcinonensi Comite dotem suppeditante: vt ex illius monasterij archiujs tradunt Martinus Vicianus in Chronicis Valentiaë libro 3. & Ioannes Aluarus lib. de Monasterijs ord. Cisterciensis in Aragonia. Ceterum ex eodem, vt arbitror, monasterio Fôtis Frigidi prodijt Iacobus Fornerius, pòst Benedictus XII. Papa.

Porrò ex hac vita sublato B. Petro de Castro nouo, *Summus Pontifex duodecim misit Abbates, ex D. Bernardi familia, eximia virtute & præclara doctrina ornatissimos, vt in hereticorum pagos excurrerent*: vt cit. lib. Ludouicus Paramus loquitur. His duodecim Abbatibus postea socios sese adiunxerunt B. Didacus Oxomensis Episcopus, & S. Dominicus Canonicus tunc Oxomensis, pòst Ord. Prædicatorum parens ac conditor.

Fuit autem totius huius, aduersus Albigenses, sacraë expeditionis ac legationis caput, Abbas Cisterciensis, cognomento *Arnoldus*, vt tradit idem Paramus. Adeò quidem, vt ipse etiã sanctus *Dominicus* à

dicto Abbate suam acceperit tunc temporis
 commissionem. Constat id ex Formula Ab-
 solutionis per ipsum dari solita, quam Para-
 mus lib. cit. cap. 2. recitat: *Vniuersis Christi-
 fidelibus presentes litteras inspecturis, frater Domi-
 nicus, Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus,
 salutem in Christo. Auctoritate Domini Abbatis Ci-
 sterciensis, Apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis in-
 iunxit officium, reconciliauimus presentium labo-
 rem, &c. Hæc omnia diligenter obseruet, donec al-
 lias super his Dominus Legatus suam nobis expri-
 mat voluntatem, &c.*

Hæc visum fuit paullo latius deducere,
 vt contra vulgi opinionem ostenderemus, nõ
 Dominicanis, sed Cisterciensibus primùm in-
 stitutæ aduersus hæreses Inquisitionis officium
 deberi acceptum.

Quod attinet ad B. Didacum Oxomensem
 Episcopum, fuit & is postea Cisterciense in-
 stitutum amplexus: vt præter alios Theodo-
 ricus Apoldianus testatur: *Reuertens Cisterci-
 ense cœnobium inuisit: vbi multorum seruorum Dei
 sancta conuersatione & religionis sublimitate ille-
 ctus, habitum monasticum accepit, atque inde me-
 nachos aliquot secum adduxit, è quibus discerit
 mores illius instituti, & ordinis disciplinam. Plu-*

ra de his qui volet, Angelum Manri-

cum consulat in Laurea Euangeli-
 ca Salmanticæ an. 1610.

Hispanicè edi-
 ta.

*De B. Othone Frisingensi Episcopo, an-
tea monacho Morimundensi,
Ord. Cisterciensis.*

Otho filius S. Leopoldi, Marchionis Austriae, vir doctus & pius, factus est primus Praepositus Neoburgi in Austria, quod monasterium S. *Leopoldus* pater eius fundarat. Inde studiorum causa Parisios profectus, ingressus est Morimundense coenobium, cum 16. Sodalibus; ubi facta professione, euocatus est Frisingam ad Episcopatum anno 1138. Ita vetus Austriae chronicon habet. Ioannes Cuspinianus in Austria, in vita S. Leopoldi, dicit Ottonem se ad Concilium seu Capitulum Cisterciense, quod Morimundi agebatur, contulisse, ibi morbo & senecta oppressum sanctissime ac religiosissime obiisse, ibique sepultum anno 1158. Paulo post discessum Ottonis, Frisinga cum sede Cathedrali, omnibus templis & ornamentis, incendio gravissimo perijt. Hic Otto non tam instaurator quam fundator Ecclesiae Frisingensis existit. Bona enim distracta recuperavit, collapsa palatia & aedificia restituit, disciplinam monasticam in usum reuocavit. Hic ipse Otto, ope fratris sui Henrici Ducis Bauariae, monasterium *Scheftlarn*, per Hungaros vastatum, instauravit, & in locum Benedictinorum

Præmonstratésés substituit an. Domini 1140.
 Pariter de nouo instituit monasterium *Nonn
 Cella*, prope Frisingam, pro eodem ordine
 Præmonstratensi, nec non *Schliersense* Colle-
 gium Canoniorum. Eiusdem Othonis con-
 silio sopita est grauis illa contentio super Du-
 catu Bauariæ, inter fratrem Ottonis, Henrici
 Marchionem Austriæ, & Henricum Leonem,
 Saxonix Ducem per Fridericum I. Romano-
 rum Imperatorem in comitijs Ratisponen-
 bus. Austria Ducatus titulo donata est, cum
 accessione prouinciæ supra Nassum; Bauaria
 verò Leoni est adiudicata: exstatque diploma
 à Frederico Imp. anno 1156. Ratisbonæ signa-
 tum, apud Hundium in Metropoli
 Salisburgenfi; ex quo ista de-
 sumpsimus.

* * *
 * *

CA-